

Ab. 52.  
2.





DANIELIS NETTELBLADT  
PRAECOGNITA  
IVRISPRVDENTIAE  
POSITIVAE PRIVATAE  
GERMANORVM COMMVNIS.

---

IN  
VSVM PRAELECTIONVM.



EDITIO LEGITIMA TERTIA.

---

HALAE  
EX OFFICINA RENGERIANA.  
MDCCLXXXIX.

DANIELIS NITTSCHADT  
PRAEFOCIGNITA  
IVRISIRVVDENTIAE  
POSITIVAE PRIVATAE  
GERMANORVM COMMUNITAS

KIEN PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE

MCMV

EDITIO TERTIA

HALLE

VERLAG VON H. W. SCHUBERT

1805





L. B.

S.

**Q**uanti faciam scripta propaedeutica,  
vel ex eo patet, quod non solum,  
a. 1747. *praecognita universae eruditionis  
generalia*, quae anno 1755. typis repetita,  
evulgaverim: sed et a. 1759. prodierint  
me auctore *praecognita jurisprudentiae po-  
sitivae generalia*, nunc *novae introductio-  
ni in jurisprudentiam positivam Germano-  
rum communem*, quae hoc anno lucem  
adspexit §. 1. seqq. inserta. At, nec eru-  
ditionis universae, nec jurisprudentiae po-  
sitivae, praecognita generalia sufficiunt:  
sed praeterea in singularum jurispruden-  
tiae positivae partium praecognitis specia-  
libus, ea ulterius evoluenda, et magis  
deter.

\* 2

deter.

## PRAEFATIO.

determinanda sunt, quae in praecognitis generalibus non nisi generatim tractari possunt. Licet vero non desint praecognita specialia nonnullarum jurisprudentiae positivae partium: defectus completorum praecognitorum jurisprudentiae privatae tamen eo magis dolendus, quo magis iis indigemus ideo, quoniam ex more majorum haec jurisprudentiae pars ad feriem titulorum in Pandectis doceri solet, et nec optima compendia juris Digestorum vix quidquam eorum continent, quae ad veri nominis praecognita jurisprudentiae privatae specialia spectant. Hinc illotis manibus plerumque aggreditur cupida legum juvenus studium jurisprudentiae privatae, quod non potest non tristes producere effectus. Mearum itaque partium esse duxi, supplere hunc defectum, et brevibus positionibus comprehendere, quae



## PRAEFATIO.

quae ignorare non debet, qui bene praeparatus, arduum et prolixum jurisprudentiae privatae studium aggredi vult. Quum vero jurisprudentiae privatae studium in toto suo ambitu consideratum, complectatur et romanae et germanicae et forensis jurisprudentiae privatae studium, dum non solum ipsum jus romanum et germanicum explicandum, sed et quodnam horum jurisprudentiae hodie in foro triumphet, definiendum: praecognita jurisprudentiae privatae omnia ea complecti necesse est, quae ratione totius studii jurisprudentiae privatae ad praecognoscenda referri possunt, hincque praecognita *jurisprudentiae privatae Romano - Germanico - Forensis* dicenda sunt. Scio quidem exstare jam ab aliis conscripta praecognita jurisprudentiae privatae, eoque referri posse in fronte libelli laudata scripta BVCKII, HERTZOGII, et,

\* 3

qui

## PRAEFATIO.

qui primo loco nominandus fuisset, celeberrimi et eruditi Viri CAR. FRID. WALCHII. Ast, neuter horum ad utrumque jus, romanum nimirum et germanicum simul suas extendit curas; praetereaque ea quae spectant jurisprudentiam forensam, nemo horum tractavit. Ne itaque mihi porro desit libellus, ad cujus ductum ea, quae lectionibus Pandectarum et juris germanici privati praemittenda esse censeo, tradi possunt, festinanti calamo haec praecognita in usum harum praelectionum in chartam conjeci, et statim typis mandari curavi. Dabam Halae d. V. Oct. MDCCLXXII.

---

Post

---

**P**ost furtivam recusionem horum praecognitorum, cujus criminis auctorem, et locum ubi commissum, ignoro; prodit haec secunda legitima editio, quae, et vel ideo, ut lucrum ex recusione sparatum intercipiatur, ita aucta et emendata, ut fere nova videri possit. Praeterea et ex variis aliis causis multa mutanda fuerunt, et praesertim novissima, ut et in prima editione praetermissa, scripta supplevi. Haec sunt quae de hac nova editione monenda fuerunt. Dabam Halae d. XI. Oct. MDCCCLXXIX.

---

**L**icet vix opus esse judicem, iterum hic quaedam praefari: tamen hoc fieri non plane superfluum esse judico. Quoad summa capita ipsius tractationis nihil mutatum, cum continent ea quae cujuslibet disciplinae iuridicae praecognita continere debent, et quoad mutationem inscriptionum titulorum, quae hinc inde facta est, omnia per se patent. Supplevi porro, quoad notitiam scriptorum quae ad haec praecognita referri debent, quae supplenda erant, quoad nova scripta et  
alia

## PRAEFATIO.

alia in prioribus editionibus praetervisa. Quoad ordinem singularum doctrinarum quidem nihil mutatum est: ast tamen delevi omnia ea quae spectant ad jurisprudentiam privatam illustrium. Hoc vero non ideo factum, acsi hae doctrinae tales non sint, quae ad jurisprudentiam positivam privatam Germanorum communem referri possunt et debent: sed ideo, quoniam sic dictum jure privatum illustrium, non nisi specialis quaedam doctrina jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis est, ideoque que consultius est, et ea, quae ad praecognoscenda pertinent, ad hanc tractationem specialem referri. Caeterum in rubro novae editionis hujus libelli, loco verborum: *romano-germanico forensis*, substitutio vocis: *Germanorum*, non nisi brevitatis causa placuit, et vox: *specialia*, ideo omissa quoniam superflua est. Dabam Halae d. XIX. Oct. MDCCLXXXIX.

PRAE-

---

P R A E C O G N I T A  
I V R I S P R V D E N T I A E  
P O S I T I V A E P R I V A T A E  
G E R M A N O R V M C O M M V N I S .

---

GEORG. LVDEW. HERTZOG. *Commentatio iuridica, in qua praecognita jurisprudentiae romanae mathematicorum ordinatae explicantur.* Jenae 1736. 8.

IO. CHRIST. BVCKII *Prolegomena jurisprudentiae civilis privatae, methodo scientifica conscripta.* Lips. 1731. 8.

CARL FRID. WALCHS *Vorbereitungsgründe der teutschen bürgerlichen Rechtsgelahrtheit.* Jenae 1757. 4.

GEORG. HENR. POTSCHKA *Prolegomena in jus civile romanum.* Wetzlariae 1776. 8.

HEINR. IO. OTTO KÖNIGS *besondere Vorbereitung zu der gemeinen in Teutschland üblichen Privatrechtsgelehrsamkeit.* Ed. 2. Halle 1783. 8.

§. I.

Singulis partibus jurisprudentiae positivae Germanorum praemittenda praecognita specialia redeunt, prout constat ex doctrinis propaedeuticis jurisprudentiae positivae Germanorum, ad quatuor summa capita haec: de 1) *genuina notione et indole*; 2) *fontibus*; 3) *subsidiis*; 4) *methodo docendi et discendi*; quoad

A eam

eam partem specialem cujus praecognita sunt. Quae cum ita sint et haec praecognita IVRISPRVDENTIAE POSITIVAE PRIVATAE GERMANORVM COMMVNIS ad haec quatuor summa capita reduci possunt et debent.

## SECTIO I.

DE

IVRISPRVDENTIAE  
POSITIVAE PRIVATAE  
GERMANORVM COMMVNIS  
NATVRA ET INDOLE.

## §. 2.

Ad cognoscendum naturam et indolem jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis faciunt quae de ejus 1) genuina notione; 2) partibus scitu necessaria sunt.

## TIT. I.

DE

IVRISPRVDENTIAE  
POSITIVAE PRIVATAE  
GERMANORVM COMMVNIS  
GENVINA NOTIONE.

## §. 3.

Esti IVSTINIANVS in §. 4. I. de I. et I. praecunte VLPIANO in l. 1. §. 2. D. de I. et I. ubi loquitur de studio juris, totum jus dividat in publicum et privatum, dum ait: *bujus studii duae sunt positiones publicum et privatum. Publicum jus est quod ad statum*

*statum rei romanae spectat. Privatum est quod ad singulorum utilitatem pertinet: haec divisio juris, pro jurisprudentia summi, tamen, tanquam generalis divisio jurisprudentiae positivae Germanorum, admitti nequit, licet quoad purum jus romanum, nec inutilis, nec falsa sit.*

## §. 4.

Dicendum potius, si loquimur de jurisprudentia positiva germanorum; prout ex doctrinis propaedeuticis jurisprudentiae positivae Germanorum constat, divisionem jurisprudentiae positivae Germanorum in *privatam* et *publicam*, esse subdivisionem jurisprudentiae positivae Germanorum *theoreticae*, et quidem *civilis in sensu lato*, in quo sub hoc nomine venit, ea pars jurisprudentiae positivae Germanorum *theoreticae*, quae sub se continet eas veritates juridicas positivas, quae nec feuda, nec sacra, nec crimina, concernunt. Unde tota jurisprudentia positiva Germanorum *theoretica* reduci potest et debet ad quatuor partes, nimirum jurisprudentiam 1) *civilem in sensu stricto*, eam in *sensu lato* seu *latissimo* universa jurisprudentia *positiva* sub hoc nomine venire solet; 2) *feudalem*; 3) *ecclesiasticam*; 4) *criminales*.

## §. 5.

Quod *speciatim* attinet jurisprudentiam positivam Germanorum *theoreticam civilem in sensu stricto*, ea abit in duas partes, quarum altera sub nomine jurisprudentiae *publicae Germanorum*: altera vero sub nomine jurisprudentiae *Germanorum privatae seu civilis in sensu strictissimo* venit. Prior non est huius loci. Quoad posteriorem vero notandum, veritates juridicas po-

sitivae eam constituentes esse tales, quae praeterea, quod nec feuda, nec sacra, nec crimina concernant, et tales sunt, quae nec internum, nec externum statum publicum regni germanici concernunt.

## §. 6.

Quae cum ita sint per se constabit, tam de *nexu*, quam de *limitibus*, inter jurisprudentiam privatam ab una, et omnes reliquas jurisprudentiae partes ab altera parte. Unde hic non nisi hoc monendum superest; licet *jurisprudentia privata etiam sub jurisprudentiae civilis in sensu strictissimo nomine veniat, ob varios juris civilis significatus tamen eam potius jurisprudentiam privatam (die Privatrechtsgelahrtheit, vel, licet male, bürgerliche Rechtsgelahrtheit) dicendam esse.*

VLR. OBRECHT *Or. de connexione juris privati et publici.*

Argent. 1682. et in EIVS academicis in unum volumen collectis pag. 515. seqq.

DIET. HERM. KEMMERICH *de arctissimo juris publici privatique nexu.* Jenae 1730.

CHRIST. LVD. SCHEIDT *juris publici et privati differentiae principes.* Frcf. et Lipsf. 1749.

## TIT. II.

DE

PARTIBVS IVRISPRVDENTIAE  
POSITIVAE PRIVATAE  
GERMANORVM COMMVNIS.

## §. 7.

Jurisprudentia positiva privata germanorum communis, ex duplici fundamento in partes dividi potest.



potest. Est enim pro I. *legum* quae ejus *fontes* sunt diversitate, vel COMMVNIS, vel PARTICVLARIS, prout fontes ejus, vel tales leges sunt quae in germania, saltem in regula, ubique, et quoad omnes, qui eundem habent statum, valent: vel tales quae non nisi in hoc vel illo loco, aut non quoad omnes eos, qui eundem statum habent, valent. Prior vel PEREGRINA, vel GERMANICA est, prout fontes ejus sunt, vel peregrinae leges quae ex receptione in germania valent, nimirum jus *romanum* et *canonicum*, vel leges domesticae seu germanicae. Licet vero jurisprudentia privata romana, non nisi pars jurisprudentiae privatae peregrinae sit, potissimum tamen in jurisprudentia privata ratio habenda est juris romani, partim propter *universalitatem* principiorum juris quae continet, partim ideo, quoniam *potiores doctrinae* in eo obvientes hanc jurisprudentiae partem concernunt.

10. STEPH. PÜTTER Observatio: vom Verhältnisse zwischen gemeinen und besondern Rechten nach allgemeinen Grundsätzen überhaupt in EIVS Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht. P. 2. num. XXII.

§. 8.

Quod *speciatim* attinet jurisprudentiam privatam romanam, ea vulgo dividi solet in ANTEJUSTINIANEAM quae in legibus romanis ante Justiniani tempora latis; JUSTINIANEAM quae in legibus romanis a Justiniano latis; POSTJUSTINIANEAM quae in legibus romanis post tempora Justiniani latis, contenta est. Cum vero JUSTINIANVS non solum multas novas leges tulit, sed et anteriorum Imperatorum constitutiones in suum Codicem retulit, iisque locis in

scriptis antiquorum ICtorum obviis, quae Pandectae continent, vim legis dedit: sub *jurisprudentiae Iustinianae in sensu latiori* nomine, aut male, etiam comprehendi solent leges pandectarum, et constitutiones Imperatorum codici Justiniano insertae quae *IUSTINIANVM* auctorum non habent. Unde me iudice, potius inter *I. R. antiquum, medium, novum* et *novissimum*: nec non inter *jus civile et praetorium* distinguendum. Est vero prioris divisionis sensus hic. *Jus antiquum* dicitur quod regio et consulari imperio, usque ad leges duodecim tabularum, obtinuit; *medium*, quod post leges duodecim tabularum sub libera republica ortum; *novum*, quod per Imperatores ante Justinianum constitutum; *novissimum*, quod Justiniano ejusque successoribus originem debet. Posterior divisio autem hunc habet sensum, quod *jus civile*, in oppositione ad *jus praetorium*, dicatur id jus quod ex legibus proprie sic dictis ortum: *praetorium* quod per edicta magistratum constitutum, indeque et *jus honorarium* dici solet. Caeterum quoad *mediam jurisprudentiam romanam*, cujus mentionem facit *IUSTINIANVS* in §. 3. *I. de legit. agnat. success.* his verbis: *media autem jurisprudentia, quae erat quidem lege duodecim tabularum junior, imperiali autem dispositione anterior*, adhuc notandum, eam esse partem jurisprudentiae Antejustinianae, cujus terminum a quo et ad quem *IUSTINIANVS* per ipsa haec verba distincte satis determinavit.

10. VOLCK. BECHMANN *de media jurisprudentia ICtorum Romanorum.* Jenae 1668.

§. 9.  
 Quod porro speciatim attinet jurisprudentiam positivam privatam germanicam, ea vel antiqua, vel media, vel nova est: prout ejus fontes sunt vel antiquae, vel mediae, vel novae leges germanicae, sicque vel tales quae, a prima rerum germanicarum origine usque ad exitum stirpis Carolingicae; vel tales quae, ab hoc tempore usque ad tempora MAXIMILIANI I; vel tales, quae ab hoc tempore ad nostram usque aetatem, ortae sunt.

§. 10.  
 Sequitur divisio jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis pro diversitate II. valoris fontium ejus quem habent in foro (§. 7.). Hinc oritur ejus divisio in antiquam et hodiernam seu forensis jurisprudentiam: prout veritates quas continet, vel non habent, vel adhuc habent, usum in decidendis casibus in foro obvenientibus. Indeque jurisprudentia privata forensis non nisi eas veritates sub se comprehendit, quae etiam sub nomine usus hodierni venire solent, et magna est inter jurisprudentiam positivam privatam germanicam novam novissimamque, et hodiernam seu forensis, differentia.

§. 11.  
 Quodsi nunc, prout secundum infra in doctrina de methodo dicenda fieri debet, universa jurisprudentia positiva privata germanorum communis, secundum ordinem doctrinarum naturalem traditur, ita ut, tam peregrina romana et canonica, quam germanica jurisprudentia privata doceatur, et quoad jurisprudentiam privatam peregrinam, potissimum jurisprudentia romana Justiniana, quoad germanicam vero, non nisi communis

jurisprudentia germanica, potissimum *nova*, explicetur, addita quoad singulas doctrinas jurisprudentia *forensi* seu *usu hodierno*: tale systema merito SYSTEMA IVRISPRVDENTIAE POSITIVAE PRIVATAE GERMANORVM COMMVNIS dicendum

## §. 12.

Cum sint, qui jurisprudentiam priuatam germanicam *communem*, seu, ut ajunt, *universalem*, ad sua-  
via somnia Ictorum recentioris aevi referunt, hic ad-  
denda decisio quaestionis: *an detur jurisprudentia posi-  
tiva germanica privata communis seu universalis?* Hu-  
jus quaestionis sensus est: *an detur, seu potius cogitari  
possit, jurisprudentia positiva privata, in qua singulae  
doctrinae juris privati, secundum jus germanicum quod  
in regula ubique in germania adhuc hodie valet, expli-  
cantur et quid justum est definitur?* Ex mea sententia  
tam possibilitas, quam existentia talis jurisprudentiae  
privatae germanicae neganda est; me tamen de com-  
pleto systemate juris germanici privati hic loqui ex di-  
ctis patet.

FRID. HENR. MYLIVS *de genuino jur. germ. universalis ho-  
dierni privati civilis conceptu mediisque illud meliorem in or-  
dinem redigendi.* Lips. 1751.

IDEM *de jure consuetudinario universali medii aevi in speculis  
saxonico et suevico ejusque cognoscendi ratione.* Ibid. 1756.

GVILIELMI AVG. RVDLOFF *Comm. de jure germanico  
justa methodo tractando.* Goett. 1767.

O. L. ab EICHMANN *de jure germanico civili omnibus litibus  
in foro obvientibus sufficiente.* Duisburgi ad Rhenum.

GEORG. STEPH. WIESAND *de jure germanico melius per-  
ficiendo.* Vitemb. 1766.

IOS. LEONH. BANNIZA *de utilitate et necessitate studii juris germanici civilis communis*. Vindob. 1760.

IDEM *de requisitis Systematis juris germanici civilis communis*. Ibid. eod.

IO. STEPH. PÜTTER *Observatio: Ob außer den unrer dem Namen der gemeinen Rechte üblichen Gesetzbüchern sonst nichts in Teutschland gemeinen Rechts seyn könne*. IN EIVS *Bevträgen zum Staats- und Fürstenrecht*, P. II. n. XXVII.

SECTIO II.

DE

FONTIBVS IVRISPRVDENTIAE

POSITIVAE PRIVATAE

GERMANORVM COMMVNIS.

§. 13.

Fontes jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis sunt triplicis generis 1) *jus peregrinum in Germania receptum duplex, romanum et canonicum*, quatenus in eo obveniunt leges quae concernunt doctrinas quae jurisprudentiam positivam privatam Germanorum concernunt; 2) *jus germanicum sub eadem limitatione*; 3) *theoria generalis doctrinae de usu moderno dictarum legum*. Licet vero defendi possit, ad fontes de quibus hic loquor, etiam referri posse quoad primum et secundum fontem *naturam et indolem entis quod est in quaestione eam, quam habet ex dictarum legum positivarum dispositione*, hic fons tamen tanti momenti non est ut de eo plura addi sit necesse.

## TIT. I.

DE PRIMO FONTE,  
IVRE PEREGRINO.

## §. 14.

Fontes peregrinae jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis sunt jus *romanum* et *canonicum*, inter quos primum locum occupat I. IVS ROMANVM de cujus historia constat ex doctrinis propaedeuticis jurisprudentiae positivae Germanorum communis, et de ejus divisione ex dictis (§. 8.) Unde hic tantum monendum singulas species ejus, secundum divisionem juris romani in Antejustinianum, Justinianum et Postjustinianum, esse quae sequuntur.

## §. 15.

Jurisprudentiae romanae ANTEJUSTINIANEAEE fontes sunt hae, ex historia juris romani notae leges romanae, quae jus romanum Antejustinianum constituunt, veluti 1) *leges regiae*; 2) *jus naturae, gentium et civile in sensu juris romani, quod tempore liberae reipublicae obtinuit, praesertim vero jus civile, tam stricte sic dictum ejusque variae species, quam honorarium, praecipue praetorium*; 3) *senatusconsulta*; 4) *constitutiones Imperatorum Antejustinianeorum, sicque Codex Gregorianus, Hermogenianus et Theodosianus*. Ex his legibus itaque in jurisprudentia positiva privata hauriendum si quaestio est de jure romano Antejustiniano.

## §. 16.

Quoad jus romanum JUSTINIANEVM inter duplicem ejus significatum distinguendum. In *stricto* signi-

significatu si sumitur, non nisi *Constitutiones Imperatorum*, quae ipsum IUSTINIANVM auctorem habent, ad illud referri possunt. In latiori significato vero huc referri solent omnes in compilationibus legum romanarum, quae IUSTINIANO auctore factae sunt, obviae leges, nimirum in a) *Institutionibus Justinianeis*; b) *Pandectis*; c) *Codice repetitae praelectionis*; d) *Novellis constitutionibus*. Interim tamen quae in his compilationibus, praesertim *pandectis*, obveniunt *praecepta moralia, politica, physica, medica, oeconomica*, ut et quae ad *grammaticam, logicam* etc. pertinent, prout leges non sunt, ita nec ad fontes jurisprudentiae romanae referri possunt.

10. FRID. KLETT *de iuris Iustiniani placitis, quae vim legis non habent.* Erlangae 1748.

§. 17.

Quae ad jus romanum POSTIUSTINIANEVM referri possunt leges romanae, sunt quidem praesertim 1) *Basilicorum libri*; 2) *Novellae Leonis*: at tamen ad fontes jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis referri nequeunt.

CARL FRID ZEPERNICK *quibus ex causis novellae Leonis Sapientis in Germania receptae dici nequeant conjecturae* quae BECKII de *Novellis Leonis* ab eo edito libro singulari Halae 1779 adiectae sunt.

10. TH. SEGER *Diss. de Leonis philosophi constitutionum Novellarum auctoritate* Lips. 1767.

§. 18.

Licet sint qui quoad interpretationem hujus fontis varia specialia obvenire contendunt: me iudice tamen non nisi *generales regulae de interpretatione legum,*  
in

*in legum romanarum interpretatione, locum habent.* Neutiquam enim defendi potest, aliter textus Institutionum, aliter Pandectarum, aliter Codicis et Novellarum interpretandos esse, et hic diversas interpretationis regulas obtinere. Loquor vero de *ipsa interpretatione*, non de *subsidiis* interpretationis legum romanarum, de quibus infra agendum.

ANT. SCHVLTING Or. *de optimo genere interpretum juris civilis* habita Harderovici 1681. in EIVS Comm. acad. Tom. III.

IOAN. DIETER. MELLMANN *de interpretatione legum romanarum praesertim codicis repetitae praelectionis. Pars prima eaque generalis.* Kiliae 1770.

GOTTL. HUFELAND Diss. *de legum in pandectis interpretandarum subsidio ex earum nexu in consecutione petendo.* Jenae. 1785.

IO. CHRISTOPH KOCH *de ordine legum in Pandectis.* Gieslæ. 1784.

GEORG. FRID. KRAVSE *de praesidiis auctorum veterum in explicando jure praesertim romano.* Vitemb. 1779.

## §. 19.

Sequitur alter fons juris peregrini II. *jus canonicum*, de quo ante omnia notandum usum ejus in jurisprudentia privata Germanorum communi valde rarum esse, dum jura et obligationes quae sacra concernunt non obveniunt in jurisprudentia positiva privata Germanorum communi. (§. 4.) Interim tamen nec hic fons plane negligendus est, licet plenius de eo suo loco, nimirum in praecognitis jurisprudentiae positivae ecclesiasticae Germanorum communis, agendum.

TIT.



TIT. II.

DE SECUNDO FONTE,  
JURE GERMANICO.

CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI *dissertatio de juris-  
prudentiae germanicae principiis et fontibus* quae BEYERI  
delineationi juris germanici praemissa.

*Unpartheyische Gedanken von Herrn D. CHR. GOTTF.  
HOFFMANNS diff. de juris germanici princ. et font.* von  
SINCERO CORDATO 1723.

§. 20.

Cum jurisprudentia positiva privata germanorum  
communis, per infra de methodo ejus dicenda, non  
tantum veritates juris peregrini sed et juris germanici  
contineat, etiam de fontibus juris germanici, qui sunt  
triplicis generis, nimirum *antiqui, medii et novi*, se-  
cundum ea quae de hac divisione dicta sunt, agendum.

§. 21.

Quo itaque attinet sic dictum jus germanicum  
privatum 1) ANTIQVVM et MEDIVM, utrumque  
hoc jus ad fontes jurisprudentiae positivae privatae ger-  
manorum communis referri nequit, nisi constet de  
ejus a) *existentia*; b) *universalitate*. Licet enim,  
prout ex historia juris germanici, quae hic, tanquam do-  
ctrina quae ad doctrinas propaedeuticas juridicas referri  
debet, praesupponenda, constat, dentur variae collectio-  
confuetudinum germanicarum antiquarum et medii  
aevi: hae collectiones tamen fide publica sunt destitu-  
tae, et si etiam constet et evicta esset existentia, inde  
tamen non sequitur universalitas. Quae cum ita sint  
per probationem juris germanici antiqui et medii  
existen-

existentia et universalitas evincenda est, antequam ex hoc fonte hauriri possunt veritates juris privati germanorum communis.

## §. 22.

Quod itaque attinet hanc probationem, eam quoad 1) *existentiae* probationem, per testimonia fide digna fieri necesse est, huicque fini inserviunt a) *collectiones consuetudinum germanicarum antiquarum et mediarum*; b) *testimonia scriptorum verum germanicarum fide digna*; c) *formulae monachi cujusdam Marculfi, qui circa a. 660. vixit*; d) *diplomata et demonstrationes jurium (Weisthümer)* quatenus talia continent, ex quibus evinci potest, quo jure eo tempore, quo talis charta scripta, utebantur Germani; e) *paroeniae germanicae juridicae* quae ad jus privatum pertinent, praetereaque communes, non particulares sunt; f) *statuta in sensu latiori sumta et Scabinorum responsa hujus aevi*; g) *leges antiquae eorum populorum, qui communem cum germanis habent originem.* Quoad 2) *universalitatem* vero, ea per concentum horum monumentorum evincenda est.

HENR. CHRISTIAN L. B. de SENCKENBERG *de demonstrationibus jurium, denen Weisthümem in EIVS* Meidit. de jure universo et historia pag. 718 seqq.

10. VLR. L. B. de CRAMER *Observatio: Von der Gültigkeit eines Weisthums ohne Unterschrift in EIVS* Wetzlarischen Nebenstunden P. I. num. III.

IDEM *Observatio: Ob Weisthümer einer Veränderung unterworfen: in EIVS* Wetzlarischen Beyträgen P. I. num. XVII.

- IO. CAR. HENR. DREYER *de usu genuino juris Anglo-Saxonici in explicando jure Cimbrico et Saxonico.* Kiliae 1747.
- IO. SALOM. BRVNQVELL *eröfnete Gedanken von dem teutschen Stadt- und Landrecht und desselben nothwendigen Excolirung.* Ien, 1721. 8. et in collectione Opusculorum EIVS Tom. I, pag. 34 seqq.
- IO. FRID. EISENHARTH *Grundsätze der teutschen Rechte in Sprüchwörtern.* Helmst. 1759. 8.
- EIVSDEM *kurze Abhandlung von dem Beweise durch Sprüchwörter.* Erf. 1750. ut et in EIVS kleinen Schriften pag. 17 — 38.
- IO. AD. THEOPH. KINDIVS *de jurisprudentia germanica paroemiaca ejusque cauto usu.* Lipsi. 1776.

§. 23.

Haec sufficiant quoad jus germanicum antiquum et medium. Quoad jus germanicum privatum II. NOVVM quod est fons juris germanici privati communis, ejus existentia et universalitas tantis difficultatibus non est involuta, nisi sit non scriptum seu consuetudinarium jus, dum ex historia juris germanici novi scripti per se appareat, quid de existentia et universalitate sentiendum.

§. 24.

Caeterum sufficiant haec de fontibus jurisprudentiae privatae Germanorum communis quoad jus germanicum. De *legibus provincialibus et statutis*, enim hic non agendum, quoniam non particularis, sed communis jurisprudentiae germanorum studium in academiis tractandum, sicque nec historia legum provinciarum et statutorum sit hujus loci. Interim quoad interpretationem fontium quae sunt leges germanicae et vul-

vulgo Statuta appellari solent, hic quaedam addenda sunt. Circumfertur regula: *Statuta ex jure communi esse interpretanda*, in qua sub juris communis nomine venit jus peregrinum in Germania receptum, sicque secundum eam interpretatio statutorum ita facienda, ut per eam jus commune minus laedatur; quorsum etiam tendit tritum illud: *statuta sunt sterilia sicut mularum quae non pariunt*. Sed falsa est haec regula, unde alia theoria de interpretatione, et quidem non statutorum tantum, sed potius juris germanici privati omnis, sive communis, sive particularis, substituenda, quam continent sequentes regulae.

Locus seu passus legis germanicae privatae qui interpretandus, aut continet *interpolationem juris peregrini* in legem germanicam translata, aut est *lex originetenus germanica*. Pro hac diversitate sequentes regulae notandae:

- I. *Passus legum germanicarum privatarum qui continet interpolationem juris peregrini, ex eo jure peregrino, ex quo est, interpretandus est, sique interpolatio non continet totam juris peregrini sanctionem, ad omissa extendendus est; nisi manifesto appareat, omissa ideo omissa esse, quoniam non approbata sunt.*
- II. *Passus legum germanicarum privatarum qui non est interpolatio juris peregrini, neutiquam ex jure communi, seu, quod hic idem est, ex jure peregrino, interpretandus est, sed secundum regulas interpretationis juridicae generales.*

IO. VLR. L. B. de CRAMER *de interpretatione statutorum*,  
Marb. 1739. et in EIVS Opusc. Tom. III. num. V.

CHRIST.

CHRIST. HENR. FREIESLEBEN *de interpretatione statutorum ex jure communi.* Alt. 1735.

SIM. PETR. GASSER *de brocardico vulgari statuta ex jure communi interpretanda esse.* Halae 1731. quae dissertatio ibidem sub veri auctoris IO. TOB. CARRACH nomine 1768. recusa.

GEORG. CHR. ALB. SPISIVS *de causa statutorum mixti generis interpretatione.* Alt. 1764.

IO. HENR. CHR. de SELCHOV *Specimen juris germanici provincialis et statutiari.* Ed. v. Goett. 1752.

TIT. III.

DE

TERTIO FONTE, THEORIA  
DE VSV HODIERNO  
IVRIS PEREGRINI ET DOMESTICI  
SEV GERMANICI.

§. 25.

Ad fontes jurisprudentiae positivae privatae Germanorum communis, referri etiam debet theoria de usu hodierno seu forensi juris peregrini et domestici in causis juris privati. Est vero *usus hodiernus* ea legum Germanorum vis et efficacia, secundum eas determinandum esse quod justum est. Unde si quaestio est de usu hodierno legum Germanorum, nec de legis existentia, nec de legis existentis vero sensu, quaestio est: sed tantum de valore, quem in definiendo quod justum est, sive peregrina sive germanica sit, quae quoad existentiam et verum sensum extra omnem dubium posita est, adhuc hodie in foro habet, si definiendum quod justum est.

B

§. 26.

## §. 26.

Differt itaque theoria de usu hodierno seu foren-  
 si legis, sive peregrinae, sive domesticae, quae spectat  
 ad jurisprudentiam positivam privatam Germanorum  
 communem, 1) a theoria de praedicta legis peregrinae  
 et domesticae, aut diversarum peregrinarum vel  
 domesticarum inter se, in casu pugnae inter se, quae  
 non est hujus loci, sed ad jurisprudentiam positivam  
 generalem referri debet. Nec etiam 2) magni mo-  
 menti est divisio usus hodierni in *usum hodiernum in se  
 spectatum*, qui locum habet extra casum pugnae du-  
 plicis juris, et aut usus hodiernus *juris peregrini in se  
 spectati*, aut usus hodiernus *juris germanici in se specta-  
 ti* est: et *usum hodiernum in casu pugnae horum jurium  
 inter se*, qui duplex est, vel *purus*, si quoad doctrinam  
 quandam juris privati non nisi unum alterumve horum  
 jurium in foro obtinet, vel *mixtus*, si in una eadem-  
 que doctrina juris privati, utrumque jus suo modo in  
 foro obtinet.

DAV. GEORG. STRUBEN *Abhandlung von dem Misbrau-  
 che und guten Gebrauche der alten teutschen Rechte in  
 EIVS Nebenstunden P. V. num. 32.*

IO. STEPH. PÜTTERS *Observatio: Erhebliche Folgen des  
 Satzes, daß es zweierlei gemeine Rechte in Teutschland ge-  
 be, in EIVS Beyträgen zum teuffchen Staats- und  
 Fürstenrecht P. II. num. XXVIII.*

## §. 27.

His praemissis, quoad ipsam theoriam doctrinae  
 de hoc tertio fonte jurisprudentiae positivae privatae  
 Germanorum communis, notandum 1) fontes ejus esse  
 1) principia generalia de legum privatarum in germa-  
 nia

nia valore in jurisprudentia positiva Germanorum generali tradita; 2) *praejudicia*, sub quo nomine veniunt rerum similiter judicatarum exempla seu res judicatae quatenus similibus causis decidendis adhibentur, si nimirum talia sunt quae usum hodiernum concernunt, sive sint ceteroquin supremorum judiciorum imperii, sive aliorum judiciorum praejudicia; 3) testimonia DD. de usu hodierno, si hi tales sunt qui de praxi testari possunt, sicque opiniones DD. non simpliciter, huc referri possunt: 1) pro horum fontium ipsorum et status causae diversitate, mox jus de cujus usu hodierno quaestio est, mox usus hodiernus plane seu in totum cessat, mox non nisi inde tum oritur sic dictus usus hodiernus mixtus seu mixtura in hac vel illa doctrina juris privati quoad jus peregrinum et domesticum.

10. STEPH. FÜTTER Observatio: *ob und wie weit Rechts-sätze aus reichsgerichtlichen Erkenntnissen behauptet werden können.* In eius Beyträgen zum teutschen Staats- und Fürstenrecht P. 2. num. XXXV.

### SECTIO III.

DE

## SVBSIDIIS IVRISPRVDENTIAE POSITIVAE PRIVATAE GERMANORVM COMMVNIS.

### §. 28.

Praesuppositis subsidiis *generalibus* univrsae jurisprudentiae positivae Germanorum aliunde notis: hoc loco non nisi de iis agendum quae spectant tantum ad *jurisprudentiam positivam privatam germanorum commu-*

B 2

*nem.*

*nem.* Sunt ea triplicis generis, nimirum doctrinarum juris 1) *peregrini*; 2) *domestici* seu *germanici* 3) *bo-dierni* quoad utrumque jus, tam peregrinum quam domesticum.

## CAPVT I.

DE SVBSIDIIS IVRIS  
PRIVATI PEREGRINI.

## §. 29.

Licet subsidia juris peregrini sint duplicis generis, nimirum juris *romani* et *canonici*: consultum tamen est hoc loco non nisi de subsidiis juris peregrini *romani* agendum esse, cum subsidia juris *canonici*, magis commodo loco, nimirum in praecognitis juris-prudentiae positivae ecclesiasticae Germanorum communis explicari possint et debeant. Quod itaque attinet *subsidia juris romani* varii et multiplicis generis, ea reduci possunt ad haec quatuor summa genera, quod sint vel *historica*, vel *philosophica*, vel *philologica*, vel *juridica* subsidia.

## MEMBRVM I.

## DE SVBSIDIIS HISTORICIS.

## §. 30.

Haec subsidia sunt quadruplicis generis, nimirum 1) *historia civilis romanae* *strictè* sic dictae; 2) *notitiae vicissitudinum juris romani*; 3) *antiquitatum romanarum*; 4) *litteraturae juridicae* quoad jurisprudentiam romanam, studium.



(A)

D E

HISTORIAE CIVILIS ROMANAE  
 STRICTE SIC DICTAE,  
 NEC NON VICISSITVDINVM IVRIS ROMANI  
 ET ANTIQVITATVM ROMANARVM  
 S T V D I O.

§. 31.

Historiae civilis romanae studium versatur circa talia facta, quae originem et statum publicum reipublicae romanae concernunt. Quae cum ita sint, illud sub se continet studium *historiae juris romani*, quatenus haec facta talia sunt, quae legum romanarum originem et fata concernunt. Licet vero *totius historiae civilis romanae* studium ad subsidia jurisprudentiae romanae referri debeat: potissimum tamen huc pertinet studium *duplicis* juris romani, *generalis* et *specialis* seu *specialissimi*: prout vel non nisi *summa genera* legum romanarum et diversas earum *species*, vel hoc seu illud *individuum* earum, concernit. Caeterum ad *specialissimam* historiam juris romani praesertim pertinet *chronologia singularum legum romanarum*, cum qua non confundenda notitia *vicissitudinum* juris romani de qua nunc agendum.

CHRIST. CODOFR. HOFFMANNI Praefatio historiae  
 jur. rom. praemissa: *de necessitate et utilitate historiae juris romani.*

PETRI MASCOVII Or. *de usu et praestantia historiae augustae in jure civili.*

CHR. THOMASII Praef. ad *Sigonii Antiquitates jur. populi romani*. Tom. I. Halae 1715.

HENR. HAHNII Or. de usu chronologiae in *jurisprudencia*. Helmst. 1640. et adjecta WIELINGII *jurispr. restitutae* p. 123. seqq.

ABRAH. WIELINGII *Jurisprudencia restituta sive index chronologicus in totum juris Justinianeae corpus ad modum Jac. Labitti, Ant. Augustini et Wolfg. Freymontii, nova tamen, et faciliore methodo collectus*. Amstelod. 1727. 8.

PETRI RELANDI *Fasti consulares ad illustrationem Codicis Justinianae Theodosiani secundum rationes temporum digesti*. Trajecti Bat. 1715. 8.

THEODORI IANSONII ab AMELOVEN *Fastorum romanorum consularium libri dec.* Editio altera. Amstelod. 1740 8.

## §. 32.

Quod itaque attinet 2) *Notitiam vicissitudinum juris romani*, ea non tam recensio factorum est, quibus leges romanae originem et mutationem debent, quam notitia historica quae legum romanarum tenorem concernit, et in eo consistit, an, et qualem mutationem, secundum temporis diversitatem, subierint sanctiones hujus juris in singulis ejus argumentis. Unde haec notitia etiam *historia doctrinarum seu dogmatum juris romani* dici posset.

ANT. SCHVLTINGII Or. de *jurisprudencia historica dicta Franckerae pridie Kal. Jun. 1712.* et postea inserta EIVS *Jurispr. Antejust. BVDERI Opusc. de rat. et meth. stud. juris* P. 2. num. 3. SCHVLTINGII *Comment. academicis* Vol. II. num. IV.

CHRIST. FRID. GEORG. MEISTER *Oratio: de studii juris romani chronologici diligentius excolendi necessitate* Goett. 1756. et in EIVS *Opusc.* num. XI.

## §. 33.

§. 33.

Progredior ad illud studium subsidiarium juris romani historicum, quod sub 3) *antiquitatum romanarum* nomine venit, et iidem talis pars eruditionis est, quæ potius ad notitiam entis, quam historiam strictè sic dictam, referri debet. Sistit enim ea *notitiam institutorum et status rerum cujuscunque generis*, cujus intuitu mutato ita contigit, ut, qualis olim erat, esse desierit. Unde hoc studium subsidiarium, præter varia alia, etiam sub se comprehendit sic dictam *archaeologiam juridicam*.

FR. CHRIST. WOLLE *Archaeologiae juridicae Specimen.*  
Lips. 1772.

(B)

DE LITTERATURA IVRIS  
ROMANI.

§. 34.

*Litteratura juris romani* est pars litteraturæ juridicæ ad jus romanum restricta, et sub se continet  
a) *Notitiam eorum ICtorum, qui præsertim suis scriptis jurisprudentiæ romanæ culturam promoverunt, et vulgo sub Civilistarum nomine veniunt*; b) *Historiam ipsius jurisprudentiæ romanæ*; c) *Notitiam scriptorum juris romani*.

§. 35.

Quod attinet a) *NOTITIAM ICTORVM qui ad Civilistas referri possunt, inter ICTos omnis aevi, sicque antiquos, medios et novos ICTos, dantur Civilistæ. Ad antiquos seu veteres pertinent ICii romani strictè*

B 4

fic

fic dicti, quorum proceres sunt CAIVS seu GAIVS, PAVLVS, VLPIANVS, PAPINIANVS. *Mediorum* civilistarum nominatim mentionem fieri vix opus est, dum IRNERII et ACCVRSII, nec non BARTOLI et BALDI, hujusque farinae reliquorum civilistarum mediorum, memoria tanti non sit ponderis, ut hic resuscitari necesse sit. Ad *recentiores* civilistas itaque statim me converto, et, ut de *viventibus* nihil dicam, quoad *demortuos*, sive *Humanistae* sint, sive *Realistae* sint, tales tamen sunt, qui ob pragmaticam juris romani scientiam, aequae ac illi, merentur eorum hic mentionem fieri, sequentes, pro temporum diversitate quo floruerunt, hic notandi sunt. Qui seculum XVI. ornarunt civilistae sunt ALCIATVS, CVIACIVS, DVARENVS, BALDVINVS, HOTOMANVS, BRISSONIVS, DONELLVS etc. Seculi XVII. potiores civilistae sunt GALVANVS, PERETZ, GODFREDVS, MERILLIVS, MENAGIVS, VINNIVS, HYBERVS, GIPHANIVS, VVLTEIVS, STRAVCHIVS, CARPZOVIVS, LAVTERBACHIVS etc. Civilistae qui seculo XVIII. floruerunt sunt: VOETIVS, NOODT, VAN ECK, SCHVLTING, WESTENBERG, WIELING, VAN DE WATER, BYNCKERSHOEK, SCHILTER, STRYK, GVNDLING, BOEHMER, HEINECCIUS, LEYSER, WERNHER, BERGER, GEEAVER etc.

## §. 36.

Sunt porro b) HISTORIAE IVRISPRVDENTIAE ROMANAE primae lineae hae. I. Prima, quae ab orbe condito orta est, jurisprudentia est jurisprudentia romana, debetque ICTis antiquis, et inter

ter eos, Ictis romanis stricte sic dictis sub libera republica florentibus, originem. II. Sic orta jurisprudentia romana per reliquos Ictos romanos magis magisque exulta, circa medium Seculi III. lapsa, et licet per Sec. IV. V. et VI. nondum ita lapsa, ut plane nulla ejus cultura superfuerit, in Occidentali Imperio tamen deserbuit per Sec. VII. VIII. IX. X. et XI. studium jurisprudentiae romanae. III. Ast aliquo modo, saltem in Imperio Romano Occidentali, sepulta jurisprudentia romana, praesertim Sec. XII. per Civilistas medios in Italia resuscitata est, per quos, Glossatores nimirum et reliquos Civilistas medios, magno feruore quidem, ast misere, exulta est Sec. XII. XIII. XIV. XV. et Sec. XVI. quoad primam ejus partem dimidiam. IV. Tandem in Sec. XVI. depulsa apud Gallos, per litterarum elegantiorum cum studio juris romani conjunctionem, barbarie, sicque detectis purgatisque fontibus juris romani, fereniorem faciem accepit jurisprudentia romana, et orti sunt in Gallia inter Civilistas sic dicti Humanittae. V. Gallorum vestigia premere coeperunt Sec. XVII. Belgae, Germani, Itali et Hispani, licet non desint, qui in veteri luto haerebant. VI. Praeterea per sanioris philosophiae usum in hoc, in quo vivimus, seculo, insignia incrementa coepit jurisprudentia romana.

## §. 37.

Sequitur c) NOTITIA SCRIPTORVM IV-  
RIS ROMANI quae huc redit. Sunt scripta juris ro-  
mani, praeter unicum scriptum juridicum generale,  
cujus hic mentio facienda, quod est EVERHARDI  
OTTONIS *Thesaurus juris romani* Ultraj. 1733. feqq.  
fol. partim scripta *legalia*, partim scripta *doctrinalia*,

cum inter scripta juridica casuistica non dentur quae huc referri possunt.

## §. 38.

LEGALIA SCRIPTA IVRIS ROMANI sunt triplicis generis, prout spectant jus romanum

I. ANTEIVSTINIANEVUM, quorsum et referri possunt scripta Ictorum romanorum, licet proprie legalia scripta non sint. Sunt vero inter scripta juris Antejustiniani, praeter collectionem horum scriptorum quam continet SCHVLTINGII *Jurisprudencia vetus Antejustiniana*. Lugd. Bat. 1717. et cura AYRERI Lips. 1737. 4. praesertim notanda, quoad

I. Fragmenta LL. XII. Tab. et Edicti perpetui, GOTHOFREDI (Iac.) *Quatuor fontes juris civilis*. Genevae 1653. 4. et apud OTTONEM in *Thef. juris* Tom III.

LOCELLA (Aloys L. B. a) *Tria tentamina ad illustrandas LL. XII. Tab.* Viennae 1754. 8.

FVNCCII (Io. Nic.) *LL. XII. Tab. suis quorquot reperviri potuerunt fragmentis restituta et observationibus critico antiquariis illustratae*. Rint. 1754. 4.

HEINECCII (Io. Gottl.) *Historia Edicti perpetui*. In *EIVS* Opusc. posthumis. Halae 1744. 4.

2. Leges romanas strictae sic dictas.

VOORDA (Iac.) *Comm. ad L. Falcidiam*. Harl. 1738. 8.

HEINECCII (Io. Gottl.) *Comm. ad L. Juliam et Papiam Poppaeam*. Amstel. 1728. 4.

3) Frag-

3. *Fragmenta scriptorum veterum ICtorum.*

**CATI** *Institutionum libri quatuor*, licet non integri, apud SCHVLTINGIVM l. c.

**Tituli ex corpore VLPIANI XXIV.** apud SCHVLTINGIVM l. c.

*Fragmentum veteris ICri de juris speciebus et de manumissionibus.* Edidit, notas et emendationes adjecit Matthias RÖVER. Lugd. Batav. 1739. 8.

**MAIANSI** (Gregorii) *ad triginta ICtorum omnia fragmenta quae exstant in juris civilis corpore* Commentarii. Genevae 1764. 4.

*Mosaicarum et Romanarum legum collatio ex integris PAPINIANI, PAULI, VLPIANI aliorumque veterum juris auctorum libris ante tempora Justiniani desumpta*, apud SCHVLTINGIVM l. c.

**CANNEGIETER** (Herm.) *Comm. ad fragmenta quae exstant in collatione LL. Mosaicarum et Romanarum.* Franecq 1765. 4.

**CANNEGIETER** (Ioan.) *Domitii Vlpiani fragmenta libri singularis regularum et incerti auctoris collatio legum mosaicarum et romanarum.* Traj. et Rhenum 1768. 4.

*Consultatio veteris cujusdam ICri* apud SCHVLTINGIVM l. c.

**PAPIANI responsorum liber et ANIANI breviarium** apud SCHVLTINGIVM l. c.

4. *Constitutiones Imperatorum.*

*Fragmenta Codd. Gregoriani et Hermogeniani* apud SCHVLTINGIVM l. c.

*Codex Theodosianus* ex edit. RITTERI. Lipsiae ab ann. 1736 — 1743. VI. Tomi. fol.

*Leges Novellae V. anecdotae Imper. Theodosii Jun. et Valentiani III. cum ceterarum Novellarum editarum titulis et variis lectionibus ex Cod. MS. Ottoboniano una cum aliis editae.*

*editae. Opera IO. CYPH. AMADVTII. Romae  
1767. f.*

II. IVSTINIANEVUM scil. a Justiniano compilatum  
vel constitutum, quoad

I. singulas collectiones quae corpus juris romani  
constituunt,

A. INSTITVTIONES IVSTINIANI.

*Institutionum seu elementorum D. Justiniani sacratissimi prin-  
cipis Libri IV. Norimb. 1529. 8.*

D. IVSTINIANI *Institutiones ex recensione Jacobi Cujacii.*  
Editionem curavit et animadversiones nonnullas adje-  
cit Io. Bernh. KOEHLER, Goett. 1772. 8.

THEOPHILI *Paraphrasis graeca Instit.* cura Guil. Ott.  
REITZII Tomi II. Hagae Comit. 1751. 4.

OTTONIS (Everh.) *Notae et Commentar. ad Instit.* Ultraj.  
1729. 4.

VINNII (Arnold.) *Comment. ad Institutiones, cum animad-  
versionibus HEINECCII.* Lugd. Bat. 1726. 4. maj.

COSTAE (Jani a) *Comment. ad Institut.* Paris 1659. et  
Lugd. Bat. cura Joar. van de WATER, cum notis  
MARCILII et MURETI. 1710. nec non ibid. cura  
RÜCKERI 1744. 4. maj.

MERILLII (Edmundi) *Commentar. in I. libros IV. cum  
Praef. c. H. TROTZ.* Traj. ad Rhenum 1739.

B. PANDECTAS seu DIGESTA.

Editiones HALOANDRI Norimb. 1529. 4. et TAV-  
RELLII. Flor. 1553. fol.

FABRI (Ant.) *Rationalia ad Pandectas V.* Tomi Lugd.  
1663. fol.

NOODT (Gerardi) *Commentar. ad Libros XXVIII. Pan-  
dectarum.* Lugd. Bat. 1716. 4.



- BRUNNEMANNI (Jo.) *Comm. ad ff. Witt.* 1731. fol.  
 HOMMELII (Car. Ferd.) *Palingenesia liberorum juris veterum, sive pandectarum loca integra ad modum indicis Labiitti et Wielingii oculis exposita et ab exemplari Tauvelliü Florentino accuratissime descripta.* Tom. III. Lipsiæ 1767. 8.

C. CODICEM REPETITAE PRAELECTIONIS.

- Editiones HALOANDRI Norimb. 1530. fol. et CONTII. Parisiis 1562. fol.  
 PEREZ (Ant.) *Praelect. in Codicem.* Antw. 1720. fol.  
 GIPHANII (Hub.) *Enarrat. et Comment. in VII. Libr. Cod. Justin. leges celebriores.* Colon. 1614. 4.  
 BRUNNEMANNI (Io.) *Commentarius in Codicem.* Lips. 1717. fol.  
 EIVSDEM *memoriale legum Codicis per quaestiones adornatum.* Franc. 1710. 12.  
 PAGENSTECHE (Alex. Arn.) *Irnerius injuria vapulans, seu Commentarius ad Authenticas.* Groeningæ 1701. 4.  
 MERILLII (Edmundi) *Commnt. ad L. Dec. Justiniani.* Paris. 1618. 4. Antw. 1622. fol.

D. NOVELLAS IVSTINIANI.

- Haloandrina Novellarum editio.* Norimbergæ 1531. fol.  
*Novellae Constitutiones ex graeco in latinum conversae et notis illustratae a Io. Frid. HOMBERG ZV VACH.* Marb. 1717.  
 GVIACII (Iac.) *Comment. in Novellas.* Lugd. 1570. fol.  
 STEPHANI (Matth.) *Expositio Nov. Witt.* 1700. 4.  
 GVDELINI (Petri) *Comm. de jure novissimo.* Arnh. 1661. 4.  
 RITTERSHVSII (Conr.) *Novellarum Justiniani methodica expositio.* Argent. 1669. 4.

LVDVICI (Frid. Jac.) *Comp. Novellarum Justiniani*. Hae-  
lae 1702. 8.

2. Corpus juris romani has collectiones conti-  
nens ipsum

CHARONDAE (Lud.) Antwerp. 1575. fol.

CONTII (Ant.) Parisiis 1562. 8. Lugd. 1571. 12.

GOTHOFRIDI (Dyon.) cura Sim. van Leeuwen. Am-  
stel. 1663. fol.

EIVSDEM Lipsi. 1740. 4.

GEBAVERI Tom. I. Goett. 1776. 4.

FREISLEBENII (Christ. Henric.) Altenb. 1720.  
1753. 4.

R. I. P. ICTI *Aurelianensis Pandectae Justinianee in novum  
ordinem digestae, cum legibus Codicis et Novellis quae jus  
pandectarum confirmant, explicans vel abrogans*. Parisiis  
1748 — 1752. fol.

BEGERI (Eusebii) *Corpus juris civilis reconcinatum*.  
Franc. et Lipsi. 1767. 4.

3. Singulos textus juris romani in Corp. Jur. Rom.  
obvios. Quorum pertinent scripta exegetica et  
critica, saltem potissimum talia, in quibus diffici-  
les textus jur. rom. explicati et emendati sunt.  
De his scriptis hic non nisi hoc notandum, huc  
pertinere CAROLI HOMMELII *Corpus juris  
civilis cum notis variorum*. Lipsi. 1768. 8.  
eaeque potissimum produsse sub titulis: *Obser-  
vationum et emendationum; Conjecturarum;  
Animadversionum; Parergorum; Interpretatio-  
num etc.*

III. POSTIVSTINIANEVN

Basilica cura et cum interpret. latina Car. Annib. FABROTTI 1647. fol. Vol. VII.

BECK (Casp. Achat.) *de Novellis Leonis Augusti et Philosophi earumque usu et auctoritate liber singularis. Praemissa est dissertatio de provida Dei cura in dispensandis jurisprudentiae facis.* Jenae 1726. 4. quem libellum adjectis animadversionibus et mantissa commentationum ad argumentum spectantium edidit D. CAR. FRIDER. ZEPERNICK. Halae 1779. 8.

BONEFIDII (Enim.) *Juris Orientalis Libri III.* Paris. 1573. 8.

LEVNCLAVII (Io.) *Jus Graeco-Romanum,* cura Mar. quardi FREHERI Tomi II. Francof. 1596. fol.

